

comparationem ad creaturas. 3. Pluralitas Idearum in Deo desumitur per ordinem ad creaturas, ergo & distinctio Attributorum; videtur enim omnimoda paritas.

4. Omnis distinctio rationis ratiocinata presupponit fundamentum in re, sed per te, & Thomista, est distinctio rationis inter Attributa, ergo assigna mihi fundamentum talis distinctionis rationis; non est enim ipse Deus, quia omnimoda simplicitas, qualis est diuina, excludit fundamentum distinctionis, cum distinctio, & simplicitas diametraliter opponantur: restat ergo vt dicas, fundamentum talis distinctionis reperiri in creaturis, ergo per comparisonem ad creaturas distinguuntur Attributa diuina: Confirmatur, quia si fundamentum talis distinctionis esset in Deo, tunc fundamentum distinctionis in Deo non esse, quam esse, quia vel minima distinctio aliquid præfert Imperfectionis.

CLYPEVS II.

Rationes pro opinione Thomistarum.

His stabiliri potest rationibus sententia Thomistarum volentium, Attributa diuina, & ab essentia diuina, & inter se distingui per rationem ratiocinatam, item & Relationes ab essentia hac quoque distinctione distingui.

15.
Thomista
probant dari
distinctionem
rationis ratiocinatae inter attributa.

Prima est, vbi est distinctio ante opus intellectus, ibi est pluralitas ante opus intellectus; sed repugnat in Deo esse pluralitatem ante opus intellectus, ergo & distinctionem: maior patet, nam distinctio non est nisi inter plura, minor probatur, omnimoda simplicitati repugnat compositio; sed pluralitas importat compositionem, & aggregationem multorum, Deus autem est omnimode simplex, ergo ipsi repugnat pluralitas formalitatum, & per consequens Attributa diuina non distinguuntur inter se formaliter.

2. Distinctio ante opus intellectus fundatur super actuali oppositione ante opus intellectus in diuinis; sed inter Attributa diuina nulla est oppositio ante opus intellectus, ergo nec vlla distinctio: maior, & minor manifesta sunt, maior quidem, quia distinctio non est nisi inter ea, quæ non sunt vnum, & idem: minor quoque constat, nam non est oppositio contradictoria in Deo, nec contraria, imò nec relatiua, nisi inter personas ipsas, multò minus oppositio priuatiua, nec enim vna perfectio diuina priuat Deum alia perfectione.

3. Vbi non est minor distinctio, ibi neque reperitur maior: sed distinctio realis, quæ est minor quam formalis, non est inter Attributa diuina, ergo neque reperietur inter ea distinctio formalis; maior patet, minor verò, scilicet quid distinctio formalis sit maior reali, probatur, illa distinctio est maior, quæ fit per interiora rei; sed distinctio formalis fit per interiora rei, quam distinctio realis, ergo distinctio formalis est maior distinctio quam realis: maior patet, minor probatur, quia distinctio formalis, & ex natura rei, est penes prædicata, quæ insunt primo modo dicendiper se, aut saltem per prædicata secundi modi; distinctio realis est

penes prædicata tertij modi, scilicet penes existentiam.

4. Inter distincta ante opus intellectus est relatio ante opus intellectus; sed per te Attributa sunt distincta ante opus intellectus, ergo est inter ea relatio ante opus intellectus; relatio autem ante opus intellectus est relatio realis, essent ergo plurimæ relationes reales in Deo, nimirum tot quot Attributa.

5. Quæ distinguuntur formaliter non verificantur inter se in abstracto; sed attributa diuina verificantur inter se, etiam in abstracto, ergo non distinguuntur formaliter: maior patet ex Philosophia de prædicationibus in abstracto; minor fit euidenter in hac propositione, quæ censei debet verissima, sapientia diuina est misericordia diuina.

6. Quidquid distinguitur ab alio formaliter non est idem formaliter cum illo; sed essentia diuina, & Attributa diuina sunt idem formaliter, ergo non distinguuntur formaliter: maior est euidenter, minor probatur autoritatibus S. Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 5. vbi ait, non est aliud sapientia eius, & aliud essentia eius, cui hoc est esse, quod sapientem esse, & lib. 5. cap. 8. non est aliud Deo esse, & magnum esse, sed hoc idem illi est esse, quod magnum esse: S. Gregorius lib. 10. moralium cap. 20. & 21. Deus est hoc, quod habet aternitatem, ipse est aternitas, lucem habet, sed lux sua ipse est, & in Concilio Florentino sessione 25. habetur sic, ne ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione, ab hypostasibus, & personis differre, credere videamur: ergo vult Concilium sola ratione distingui personas ab essentia. Confirmatur ex 7. de Trinit. cap. 5. vbi ait S. Augustinus non eo Pater, quo Deus, sed eo sapiens, quo Deus, eo magnus, quo Deus, &c.

7. Si distinguerentur Attributa diuina inter se formaliter, & ab essentia, iam Attributa diuina sese haberent per modum formæ ad essentiam diuinam, & idè informant eam, proindeque facerent vnum compositum; quòd enim circumstat aliud se habet per modum formæ ad illud, sic albedo in pariete, quia dicitur circumstare parietem, idè se habet veluti forma informans parietem accidentaliter, & vno verbo omnis forma aut est informans, aut assistens; at vnum Attributum non potest dici forma assistens respectu essentia, neque respectu alterius Attributi, non etiam forma informans, alioquin efficeretur vnum compositum in diuinis, & sic Deus non esset summe simplex: nullo ergo modo potest vnum attributum distingui formaliter ab alio, nec ab essentia diuina.

8. Eorum, quæ distinguuntur formaliter, & ex natura rei, vnum non est formaliter aliud, ergo si Attributa distinguuntur ab essentia formaliter, & ex natura rei, iam Deus non esset de se sapiens, sed per aliud, non esset de se bonus, sed aliunde, sicque Deus de se non esset omnimode perfectus; Imò esset aliquid in Diuinis, quod non esset Deus formaliter, neque Deitas, quod est absurdum.

9. Quod transit in omnimodam simplicitatem cum alio, nullo modo distinguitur ab eo; sed Attributa diuina transeunt ab inuicem in omnimodam simplicitatem, ergo nullo modo distinguuntur ab inuicem: maior patet, nam quomodo ea, ex quibus vnum quid simplicissimum